

cœlestè seu fidus Zodiaci Astronomis. (2) Vinculi genus à Chirurgis *καρκίνον*, Cancer, adpellatur, capiti pro delegatione conveniens, *Gal. I. de fasciis*. (3) Anatomici *καρκίνον* quoque vocarunt *οστεόχονδρον*, & *concavum aurium*, ubi sordes cumulantur. (4) Calceamenti genus est Hesychio. (5) Medicis *morbus* est malignus & malum, quod latè solet immedicable serpere & illæsis vitiatas addere partes, juxta Ovidium. De hoc noster jam erit sermo. Denique & quidem propriè (6) pro pisce crustato, notissimo animalium genere.

*Synonymiam* consideraturis varia occurrunt nomina. Ita carcinodes tumor vocatur cancro similis vel ad cancri naturam accedens. Item Carcinoma apud Dioscorid. lib. 1. & 2. & Cels. lib. 5. cap. 28.. Cancrosum tuberculum aliis. Nobis occultus seu latitans Cancer, der verborgene Krebs. Hisce præmissis sequens sit definitio realis :

Cancer occultus est tumor malignus partium glandulosarum, durus, inæqualis, à lymphâ acri, acidâ, austera subsistente, cum vel sine dolore productus.

Genus seu ratio formalis est tumor. Tumorem confirmat extensio partium glandulosarum p. n., primùm certo quasi loco inclusa, hinc sensim in omnes dimensiones, longum, latum & profundum ex crescens. Qui enim in principio vix ciceris aut pisí magnitudinem adæquat, successivè, veltardius vel citius, capit incrementum, modò cum, modò sine notabili doloris præsentia; & proinde hæc tumoris species locum habet inter morbos conformatio nis in auctâ magnitudine, siquidem glandulæ, quæ ferè omnem ibidem fugiunt sensum, à cancro obsessa, nunc p. n. auctæ visuntur.

*Malignum* hunc diximus, non, quòd malignitate (mali tia potius) suâ aliorum inquinare non valeat corpora, sed respectu habitô ad alios tumores benignos, molles, æquales, resolubiles & curabiles, qui per medicamenta ope naturæ vigorata, vel planè discutiuntur vel in pus convergentur, hocque remoto sanantur. In cancro verò occul-